INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XXIX APRILIS ANNI MDCCCLXXVIII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. FRANC. HIPLER** DE THEOLOGIA LIBRORUM QUI SUB DIONYSII AREOPAGITAE NOMINE FERUNTUR PARTICULA TERTIA.

BRUNSBERGAE, 1878.

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. FRANC. DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De theologia librorum qui sub Dionysii Areopagitae nomine feruntur.

Particula tertia[1]).

C. De Dei ad creaturas descensione.

59. Quia secundum s. Paulum unus est Deus, „ex quo omnia et in quo omnia et ad quem omnia“ (Rom. 11, 36. 1. Cor. 8, 6), in describendis divinis operationibus quae vocantur ad extra tractandum erit I. de rerum effectione, II. de rerum defectione et refectione, III. de rerum perfectione.

I. De rerum effectione.

60. Tres potissimum quum de rerum effectione agitur oriuntur quaestiones, videlicet: 1) quid, 2) quomodo, 3) quem ad finem Deus omnia creaverit, unde 1) de creatione in universum, 2) de origine mali, 3) de coelesti hierarchia, quae sola propositum a Deo finem sine lapsu consecuta est, disserendum est.

1. De creatione in universum.

61. Superessentialis Deitas propter abundantiam bonitatis suae ad essentiam producens cuncta rerum principia, tum subsistere illa fecit tum ad communionem suam pro uniuscuiusque captu omnia vocavit[2]). Amore enim bonitateque velut delenita quum sit super omnia et ex omnibus exempta, ad omnia per providentias (ideas) omnium rerum demittitur secundum potestatem supersubstantialem, qua

[1]) Cf. particulam I et II Theologiae Dionysiacae in Indicibus Lectionum Lycei Regii Hosiani per aestatem a. MDCCCLXXI et per hiemem anni MDCCCLXXIV—V instituendarum.

[2]) C. IV, 1: *Ἀγαθότητι πάσας ἡ ὑπερούσιος θεαρχία τὰς τῶν ὄντων οὐσίας ὑποστήσασα πρὸς τὸ εἶναι παρήγαγεν καὶ πρὸς κοινωνίαν αὐτῆς ἐκάλεσεν, ὡς ἑκάστη τῶν ὄντων ὥρισται πρὸς τῆς οἰκείας ἀναλογίας.*

extra se non egressa ad omnia descendit[3]). Unde etiam multiplex fieri Deus dicitur ex uno (πολυπλασιάζεσθαι λέγεται. D. IV, 13. C. IV, 1), dum multas ex se producit entitates, idem manens et non minor factus, in multiplicatione unus atque in distinctione perfectus, quia ab essentiis omnibus superessentialiter est exemptus neque ulla ratione pars est multitudinis neque ex partibus totum[4]). Et toti quidem divinitati convenit imparticipate participari (ἀμεθέκτως μετέχεσθαι) ab unoquoque participantium, sed imparticipate et a nulla parte, sicut punctum centri in medio circuli ab omnibus lineis rectis, quae sunt in circulo circumpositae, participatur et in unaquaque figura sigilli expressa totum et idem sigillum et in nulla figura secundum ullam partem. Vincit autem haec exempla divina imparticipabilitas, quoniam Dei nulla est tactio (ἐπαφή) neque alia cum participantibus mixtionis communio[5]).

62. Quin et ipsius quoque mundi quae videri potest fabrica (κοσμουργία) invisibilibus Dei obducta est, sicut Paulus et vera ratio testatur[6]). Ea autem quam modo descripsimus ratione omnes res participant providentiam a Deo superessentialiter enunciatam (i. e. providentiam participabilem cf. supra Nr. 31); neque enim essent, nisi rerum essentiae principiique principalis participes existerent, prout cuiusque captus modusque postulat. Atque ideo cuncta inanimata (ἄζωα) per ipsum esse (τῷ εἶναι) hanc providentiam participant; omnium enim esse superessentialis est Deitas (τὸ γὰρ εἶναι πάντων ἐστὶν ἡ ὑπὲρ τὸ εἶναι θεότης); viventia autem (ζῶα) eiusdem supra omnem vitam vivificae virtutis (ζωοποιοῦ δυνάμεως) sunt consortia; illa autem quae ratione et spiritu pollent (λογικὰ καὶ νοερά) per se perfectae ac praeperfectae sapientiae compotes existunt. Liquet igitur naturas istas esse proximas divinitati, quae multipliciter illam participant, i. e. non solum essentia, aut essentia et vita, sed essentia et vita et sapientia[7]).

63. Et quum intellectiles illae et intelligentes substantiae et virtutes et operationes, quae angeli nominantur[8]), primario et multipliciter Deum participent et in primis multisque modis arcanum Dei manifestent, primus in rerum creatarum ordine gradus tribuendus est angelis, vitam utique habentibus sempiternam et indeficientem (ἀνέκλειπτον), ab omni generatione, corruptione, morte, materia liberam et immortalem[9]). Spiritus enim sunt incorporei et immateriales (ἀσώματοι καὶ ἄϋλοι), quare etiam supermundialiter et sine errore inflexioneque omnia intelligunt propriisque rerum ideis (λόγοις) illustrantur, unde rursus in ea quae iis cognata sunt sua munera derivant et iuxta legem divinam inferiores suos donorum ex summo bono promanantium participes reddunt. Atque haec omnia — tam ut sint et bene sint, quam ut vivant, moveantur, intelligant — omnem deinde firmitatem, stabilitatem,

---

[3]) D. IV, 13: Τολμητέον δὲ καὶ τοῦτο ὑπὲρ ἀληθείας εἰπεῖν, ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ πάντων αἴτιος τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ τῶν πάντων ἔρωτι δι' ὑπερβολὴν τῆς ἐρωτικῆς ἀγαθότητος ἔξω αὐτοῦ γίνεται ταῖς εἰς τὰ ὄντα πάντα προνοίαις καὶ οἷον ἀγαθότητι καὶ ἀγαπήσει καὶ ἔρωτι θέλγεται, καὶ ἐκ τοῦ ὑπὲρ πάντα καὶ πάντων ἐξῃρημένου πρὸς τὸ ἐν πᾶσι κατάγεται κατ' ἐκστατικὴν ὑπερούσιον δύναμιν ἀνεκφοίτητον ἑαυτοῦ.

[4]) D. II, 11.

[5]) D. II, 5.

[6]) E. IX. 2: Καὶ αὐτὴ δὲ τοῦ φαινομένου παντὸς ἡ κοσμουργία τῶν ἀοράτων τοῦ θεοῦ προβέβληται, καθάπερ φησὶ Παυλός τε καὶ ὁ ἀληθὴς λόγος. — Sic etiam theologi scholastici docent vestigia quidem divina in creaturis observari, attamen totius mundi creationem velum quodammodo esse et aulaeum, quo divina maiestas plus velata sit quam revelata.

[7]) C. IV, 1.

[8]) C. XI, 2: Πᾶσαι αἱ νοηταὶ καὶ νοεραὶ καὶ οὐσίαι καὶ δυνάμεις καὶ ἐνέργειαι. Cf. D. IV, 1.

[9]) D. IV, 1. VI, 1, ubi contenditur etiam mortalem hanc vitam appellari posse, quia non ex se habet, ut immortalis sit.

conservationem a bonitate divina habent, quam appetentes deiformes quodammodo evadunt bonique speciem prae se ferunt [10]). Quomodo ergo divina bonitas tripliciter moveri dici potest (cf. supra Nr. 54), sic etiam deiformes angelorum mentes tripliciter moventur:

a) circulariter, dum in anteriora intenti infinitis pulchri bonique splendoribus uniuntur (i. e. Deum cognoscunt et amant);

b) directe, quando providae virtutis participes ad inferiorum providentiam procedunt atque ex suis illis tribuunt (i. e. creaturas movent);

c) oblique denique, dum inferioribus consulentes necnon constanter circum se ipsos volutati proprias virtutes custodiunt, circa bonum et pulchrum semper versantes (i. e. se ipsos determinant et dirigunt) [11]).

64. Secundum post sacras illas mentes locum animae obtinent (sc. humanae — *ψυχαί*), intellectu praeditae, vitam habentes substantialem, corruptionis expertem, liberam (*οὐκ ἠναγκασμένην*. C. IX, 3) et corporibus ipsis coniunctis superiorem [12]). Copulatae enim sunt in anima virtutes providentiales omnium singulorum totius corporis (sc. artuum) [13]). Quin etiam hac cum animis coniunctione ipsa corpora (*συζυγῆ σώματα*) ad perfectam et immortalem vitam transferentur, id quod antiquitati quidem contra naturam (*παρὰ φύσιν*), nobis autem divina utique res et supra naturam (*ὑπὲρ φύσιν*) esse videtur, supra naturam videlicet nostram, non autem illam omnipotentem vitae divinae [14]).

Quae quidem animae licet compositae sint, tamen ad angelorum vivendi rationem aspirare atque eorum ductu optimo ad divinarum illustrationum et bonorum supernaturalium participationem promoveri possunt [15]).

65. Triplex autem etiam animarum est motus, videlicet:

a) circularis, i. e. spiritualium facultatum omnimoda inflexio et introitus animae ab exterioribus ad se ipsam, quem introitum sequitur convolutio virtutum ipsius, per quam anima ab errore et externa occupatione liberata ad ipsum pulchrum bonumque perducitur;

b) directus, i. e. animae ab exterioribus signis et rebus (*αἴσθησις*) ad seipsam (*νόησις*) et deinde ad simplices et unitas contemplationes (*θεάματα*) revocatio;

c) obliquus, i. e. animae illuminatio per cognitiones divinas modo rationali et discursivo, non spiritali et unito [16]).

Dum ergo angeli uniformiter et indesinenter Deum intuentur, quemadmodum motus circularis est circa idem centrum, animae econtra difforme Deum cognoscunt et oblique, donec ab exterioribus symbolis et a discursu rationis ad simplices veritatis contemplationes perductae angelis similiter Deum cognoscent. Omnes enim coelestes et humanae mentes (*οὐράνιος καὶ ἀνθρώπειος νοῦς*), quae coelesti ratione divisae sunt in essentiam, virtutem et operationem (*εἰς οὐσίαν καὶ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν*. C. XI, 2), seorsum in se continent et primos et medios et ultimos ordines atque facultates, quibus pro suo captu et nitidae purgationis et copiosissimi luminis et absolutae perfectionis fiant

---

[10]) D. IV, 1—2.
[11]) D. IV, 8.
[12]) D. IV, 2 et C. XV, 3.
[13]) D. V, 7: *Καὶ ἐν τῇ ψυχῇ μονοειδῶς αἱ τῶν κατὰ μέρος πάντων προνοητικαὶ τοῦ ὅλου σώματος δυνάμεις*. I. e. Anima vel in anima est forma corporis.
[14]) D. VI, 2.
[15]) D. IV. 2.
[16]) D. IV, 9.

participes. Unde etiam animae humanae ad perfectam Dei cognitionem visionemque aspirare et possunt et debent [17]).

66. Totius autem mundi naturae (τοῦ παντὸς κόσμου φύσεις), quae proximum post animas gradum occupant, quum ratione egeant, in sensibilia dividuntur et in insensibilia, quorum nonnulla viventia sunt, reliqua vero vita carentia.

Atque primo loco hic nominanda sunt animalia (ζῶα vel ἄλογοι ψυχαί), quae vel aerem tranant terramve permeant aut humi reptant, vel in aquis vitam agunt, aut amphibia sunt, vel sub terra recondita in cavernis vivunt et ut breviter dicamus anima vel vita sensili (αἰσθητικὴ ψυχὴ ἢ ζωή) praedita sunt. Quodsi his animalibus ira (θυμός) et concupiscentia (ἐπιθυμία) tribuitur, nihil aliud utique intelligitur nisi irascibilis eorum ex impetu passionis generatus motus et inconsiderata affectio irrationalisque corporei appetitus praedominatio, quae totum animal impellit ad id quod sensu concupiscibile existit [18]).

Plantae deinde (φυτά) nutritivam motabilemque vitam habent (non sensibilem), — θρεπτικὴν καὶ κινητικὴν ζωήν. —

Coelestis denique immutata substantia, motus coelestis illius immensae machinae non sonantes (ἄψοφοι κινήσεις), ordines stellarum et luminum et siderum, quorum nonnulla fixa sunt, alia multiplici cursu vagantur, duorum luminarium, quae scriptura vocat magna, circuitus et eodem unde profecta sunt reversiones, quibus apud nos dies et noctes distinguuntur, menses et anni quibusque omne tempus numeratur, ordinatur et continetur, non habent vitam neque intellectilem neque sensilem neque nutritivam, sed circularibus tantummodo motibus moventur sicut animalia obliquis et plantae una cum omnibus elementis directis [19]).

2. De origine mali.

67. „Vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona“. (1. Mos. 1, 31.) Quae quum testante ipsa s. scriptura sine ulla dubitatione vera sint, qui fit, ut tot in mundo existant mala, qui fit ut nonnulli ex ipsis angelis vere pulchrum et bonum non expetant, sed ex primo statu suo prolapsi causa sint omnium malorum tam sibi quam aliis quae perverti depravarique dicuntur? Et quid est,

---

[17]) C. X, 3. Haec fere sunt, quae in iis autoris nostri libris qui adhuc supersunt de animae humanae natura atque indole inveniantur; proprius enim quem „de anima“ scripsit tractatus non iam exstat. De cuius libri argumento cf. D. IV, 2: Ἀλλὰ καὶ μετ᾽ ἐκείνους τοὺς ἱεροὺς καὶ ἁγίους νόας αἱ ψυχαὶ καὶ ὅσα ψυχῶν ἀγαθὰ διὰ τὴν ὑπεράγαθόν ἐστιν ἀγαθότητα· τὸ νοερὰς αὐτὰς εἶναι, τὸ ἔχειν τὴν οὐσιώδη ζωὴν ἀνώλεθρον, αὐτὸ τὸ εἶναι καὶ δύνασθαι πρὸς τὰς ἀγγελικὰς ἀνατεινομένας ζωὰς, δι᾽ αὐτῶν ὡς ἀγαθῶν καθηγεμόνων ἐπὶ τὴν πάντων ἀγαθῶν ἀγαθαρχίαν ἀνάγεσθαι καὶ τῶν ἐκεῖθεν ἐκβλυζομένων ἐλλάμψεων ἐν μετουσίᾳ γένεσθαι κατὰ τὴν σφῶν ἀναλογίαν καὶ τῆς τοῦ ἀγαθοειδοῦς δωρεᾶς ὅση δύναμις μετέχειν καὶ ὅσα ἄλλα περὶ ἡμῶν ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς ἀπηρίθμηται.

[18]) D. IV, 2. C. II, 3. — Dubitasse videtur autor utrum animalium modus existendi anima (ψυχή) nominandus sit, an vita (ζωή); plantis vero et sideribus animam non inesse apertis verbis docet.

[19]) D. IV, 2 et 4. — Ceterum sicut autor noster totam de Deo doctrinam tribus libris (cf. supra Nr. 25) complexus est, ita etiam tres de creatione libros sese scripsisse testatur: librum „de coelesti hierarchia“ sive de angelis, librum „de anima“ sc. humana, librum „de intelligibilibus et sensibilibus“ (cf. Nr. 5). Quibus operibus tres omnis creaturae partes, angelicam videlicet, mundanam ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam naturam quum describat, iam patet exinde recte triplicem creaturae omnis divisionem a concilio Lateranensi IV deinde promulgandam ipsi perspectam fuisse. — Unde etiam secundum mentem autoris tribus capitibus in hac parte de angelis, de natura (sensibili) et de homine agendum fuisset, nisi libris de anima et de rebus sensibilibus perditis illa quae supra indicata est distributio praeferenda visa esset.

quod illos depravavit et quidnam malum ipsum est? Quomodo denique prospiciente providentia divina mala sunt omnino?

Ad haec vera ratio respondebit: Malum, qua malum, neque res est neque in rebus; quin etiam ipsum malum omnino neque est neque bonum est neque generandi pollens vi sive res sive bonas res facere potest. Ea enim quae sunt, in quantum sunt, et bona sunt et ex bono sunt; in quantum autem bono privata sunt, neque bona sunt neque sunt. Quin etiam illa, quae ipsi bona contraria sunt, eiusdem boni potestate et existunt et repugnare possunt. Malum ergo non est ens. (*Οὐκ ἄρα ὂν τὸ κακόν.*)

68. Verum etiam rebus non inest malum, quippe quae a bono Deo procedentes bonae sint valde; neque ullo modo in Deo est malum; Deus enim bonus est et bonitas; „non autem potest arbor bona malos fructus facere“ (Matth. 7, 18) nec contra. At si ex bono non est, certo profectum est ab alio principio; nam aut malum ex bono erit, aut bonum ex malo, vel si id fieri non potest, ex alio principio et causa existet tam bonum quam malum. Nulla enim dualitas (*δυάς*) principium est, sed unitas erit principium dualitatis. Atqui absurdum est ex uno et eodem duo prorsus contraria proficisci et existere, idemque principium nec simplex nec unum esse, sed divisum et duplex et sibi ipsi repugnans. Non ergo in Deo uno eodemque bono malum est, neque ex Deo. (D. IV, 21.)

69. Sed neque in angelis est malum, qui imagines sunt Dei boni et arcani luminis declarationes. Quin etiam daemones ipsi natura sua mali non sunt. Effecti enim sunt a Deo, qui bona tantummodo profert et stabilit. Unde mali quidem dicendi sunt, sed non in quantum sunt — ex bono enim sunt et bonam sortiti sunt essentiam — sed in quantum non sunt „non valentes servare suum principatum“, (Iud. 6) et propter bonorum ipsis congruentium privationem et declinationem et lapsum mali nominantur, et sunt mali in quantum non sunt.

70. Eodem modo etiam in animis humanis malum non est tanquam res aliqua, sed tantummodo ut defectus et carentia perfectionis bonorum propriorum.

Sed neque in animalibus brutis neque in tota natura (*ἐν τῇ ὅλῃ φύσει*) neque in corporibus (*σώμασι*) malum est, quoniam etiam sine corpore malitia possit alicui adhaerere, ut in daemonibus patet. — Quin etiam tritum illud „in materia malum“ — *ἐν ὕλῃ τὸ κακόν* — minime probari potest, quatenus materia est. Quomodo enim materia (*ὕλη*) naturam (*φύσιν*) gignit et nutrit, si mala est?[20]) Malum enim, in quantum malum est, nihil neque gignit neque efficit neque nutrit neque salvat. Quodsi dicatur materiam ad malitiam animas instigare, quonam pacto plurimae ex iis bonum spectare potuissent, si ad malum eas materia omnino (*πάντως*) inclinaret, quare malum in animabus non ex materia sed ex inordinato quodam et peccante motu est.

71. Non igitur malum est res aliqua, neque in rebus malum existit, sed privatio est et defectus et error et frustratio scopi rationis, pulchritudinis, causae; imbecillitas defectusque sive scientiae sive liquidae cognitionis sive fidei, sive desiderii et operationis bonae (D. IV, 35). Omne enim malum non a potestate sed ab imbecillitate proficiscitur, sicut in angelis; et quidem non propter malum sed propter bonum. Omnium enim malorum et principium et finis est bonum; quippe quum mala quoque boni desiderio agantur — nemo enim proposito sibi malo et propter malum facit quae facit, sed quia bonum esse putat malum agit. Quapropter nulla substantia malum nititur, sed substantiae simulacro, dum boni et non sui ipsius gratia agitur. „Deus vero malum cognovit ut bonum et penes ipsum

---

[20]) D. IV, 28: *Πῶς γεννᾷ καὶ τρέφει τὴν φύσιν κακὴ οὖσα ἡ ὕλη.*

malorum causae virtutes sunt beneficae"[21]). Malo ergo existentia tribuenda est per accidens (*κατὰ συμβεβηκός*) et propter aliud et non ex proprio principio.

72. Quomodo vero impotens illud et non existens malum omnino potest aliquid efficere permixtum bono? Respondendum:

Quia non omnibus omnia et omnino eadem secundum idem mala sunt. Daemoni malum est, quod a verbo (*τὸ παρὰ λόγον*), animo quod a ratione, corpori quod a natura deflexerit.

Et quum iam quaesierit quis, quomodo divina providentia omnia gubernante mala sint omnino, respondendum, quod etiam iis, qui mali evaserunt, ad ipsorum aut aliorum privatam vel communem utilitatem providentia benigne utitur proprieque singulis rebus consulit. Annon frequenter unius corruptio alterius est generatio? Atqui malum hoc modo ad universi plenitudinem conducet ac per se faciet, ut rerum universitas non sit imperfecta. Quare vanus ille sermo non est probandus: „divinam providentiam nos vel invitos ad virtutem debere impellere"; non est enim providentiae naturam (sc. liberam) violare. Et quum nonnulli neque intelligere neque facere bonum volunt propter perversionem et debilitatem voluntatis (*κατὰ τὴν παρατροπὴν ἢ τὴν ἀσθένειαν τῆς βουλήσεως*), quamvis facultas suppetat, Deo omnibus et posse dante et perficere, tantum abest, ut perversio ista et fuga prolapsioque laudetur, ut iusto divinoque iudicio merito puniatur nullaque propterea in Deo sit iniustitia vel mendacium[22]).

73. Propria ergo culpa daemones et ab iis seducti homines ab illo statu, quem in boni appetitione obtinuerant, prolapsi iure meritoque corruptioni mortique aeternae traditi sunt. Atque hoc modo omnium malorum exstiterunt autores, ita ut per illos omnis creatura perversa exstiterit exceptis solis bonis angelis, qui daemones opprimentes principatum suum servaverunt et semper exinde ante faciem Dei versantes variis ordinibus et hierarchiis inter se distinctis ad similitudinem divinam adducuntur.

3. De coelesti hierarchia sive de angelis.

74. Divina pulchritudo simplex et bona nullique omnino admixta dissimilitudini quum omnibus creaturis tum inprimis angelis fidelibus pro merito lumen suum impartitur et ad immutabilitatis suae speciem eos adducit et efformat (*ἀποτυπεῖ*. C. III, 2). Quum enim angeli divinam similitudinem supermundialiter contemplantes ad eandem suam cupiant formare speciem intellectualem, iure meritoque uberiore gaudent eius participatione, tum quod assidue ac semper ante Dei faciem versantes (*πρὸς τὸ ἄναντες*) divini amoris contentione extendantur, tum quod primordiales illustrationes immaterialiter liquidoque suscipiant atque ad eas componantur vitamque omnem habeant spiritalem. Atque dum ipsi angeli variis et diversis modis prout fas est a Deo illuminantur, diversi quoque existant chori et gradus angelorum oportet, qui in alias denuo distinctiones vel hierarchias distribui possunt. (C. IV, 2.)

75. Omnis autem hierarchiae principium (*ἀρχή*) est fons vitae, essentia bonitatis, una rerum omnium causa: Trinitas, ex qua per bonitatis redundantiam et ipsum esse et bene esse est rebus (E. I, 1). Hierarchia ipsa deinde est sacer ordo et scientia et actio, quae ad deiformitatem,

---

[21]) D. IV, 30: *Οἶδεν ὁ θεὸς τὸ κακὸν ᾗ ἀγαθόν, καὶ παρ' αὐτῷ αἱ αἰτίαι τῶν κακῶν δυνάμεις εἰσὶν ἀγαθοποιοί.*

[22]) D. IV, 18—35. De iusto et divino iudicio itidem proprium autor noster conscripserat tractatum, de quo ipse loquitur D. IV, 35: *Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἡμῖν ἐν τοῖς περὶ δικαίου καὶ θείου δικαιοτηρίου εἰρήσθω, καθ' ἣν ἱερὰν πραγματείαν ἡ τῶν λογίων ἀλήθεια τοὺς σοφιστικοὺς καὶ ἀδικίαν καὶ ψεῦδος κατὰ τοῦ θεοῦ λαλοῦντας ἀπεῤῥάπισεν ὡς παράφρονας λόγους.* De iustitia ergo divina (theodicea) et de modo extremi iudicii sermonem in hoc libro instituisse videtur.

quantum fas est, accedit atque insitis sibi divinis illustrationibus proportione quadam ad Dei subvehitur imitationem[23]). Finis ideo omnis hierarchiae est Dei quantum fieri potest assimilatio et coniunctio (*ἀφομοίωσις τε καὶ ἕνωσις*). Deus utique omnis sacrae scientiae et operationis est dux, cuius divinum decorem constanter intuentes et exprimentes singularum hierarchiarum consortes (*θιασῶται*) sacra quaedam redduntur specula, clarissima et immaculata, quae primitivae lucis summaeque deitatis radium excipientia eoque impleta in ea quae sequuntur divinam lucem transfundunt.

Itaque hierarchia sacram quandam significat dispositionem (*διακόσμησιν*) deiprincipalis pulchritudinis imaginem ordinibus scientiisque hierarchicis propriam ipsi divinam illustrationem excipientem et transfundentem necnon proprio suo principio conformem.

76. Uniuscuiusque vero eorum qui hierarchiae participes sunt et consortes in hoc constat perfectio, ut ad divinam quemadmodum potest promoveatur imitationem et, quod divinius est omnium, ipsius Dei cooperator existat[24]), divinamque in semet ipso demonstret operationem elucentem secundum eum qui est hierarchiae ordinem. Omnis autem hierarchiae ordo hic est, ut

a) alii purgentur, alii purgent (*καθαίρεσθαι*),
b) alii illuminentur, alii illuminent (*φωτίζεσθαι*),
c) alii perficiantur, alii perficiant (*τελεῖσθαι*),

tali modo, ut omnes ordines Dei similes fiant pro gradu suo atque ad divinam adducantur cooperationem[25]).

Sed obiici potest in coelestibus hierarchiis non esse ordines qui expientur; etenim si quis in vitium prolapsus sit, continuo etiam a coelesti divinarum mentium harmonia defecit et ad obscuram apostaticae turbae ruinam pertinet. Nihilominus modeste fateri liceat, in coelesti hierarchia rerum ignotarum illustrationem et cognitionem inferioribus naturis esse quandam expiationem, qua inferiores a superioribus ad clariores divinarum contemplationum illustrationes promoventur[26]). Sola enim divina beatitudo, ut more hominum loquamur, quum impermixta sit et plena lucis et perfecta, nullius purificationis, illuminationis, perfectionis est indiga, ipsa purgans, illuminans, perficiens supra purgationem, lucem et perfectionem, quinimmo per se origo perfectionis atque omnis hierarchiae causa necnon ab omni re sacra per excellentiam excepta[27]).

77. Qui autem et quales angelorum ordines sint et gradus, soli Deo et ipsis angelis exacte est notum. „Nos quidem nihil ex nobis dicemus, sed ea tantummodo quae sacris theologis (i. e. sacrae scripturae autoribus) visa sunt angelica spectacula pro viribus exponemus“.

Novem vero diversis nominibus in sacra scriptura coelestes spiritus nominantur, quae in tres ternarias distinctiones aptissime cum s. Hierotheo distinguere possumus, quemadmodum omnis diversitas aequalium et finitorum optime ad tria reducitur, videlicet ad summum, medium et infimum. (C. VI, 1—2. E. V, 1 et 2.)

---

[23]) C. III, 1. *Ἔστι μὲν ἱεραρχία τάξις ἱερὰ καὶ ἐπιστήμη καὶ ἐνέργεια πρὸς τὸ θεοειδὲς ὡς ἐφικτὸν ἀφομοιουμένη καὶ πρὸς τὰς ἐνδιδομένας αὐτῇ θεόθεν ἐλλάμψεις ἀναλόγως ἐπὶ τὸ θεομίμητον ἀναγομένη.* Quaerit s. Thom. in II. Sent. d. IX. q. 1. a. 1. utrum haec definitio sit conveniens, et respondet neminem Deo assimilari nisi per ordinatam actionem, ad quam exigitur ordinata potestas et scientia dirigens; „et ideo in definitione ponitur ordo i. e. gradus potestatis, et scientia sicut dirigens et actio sicut ad finem inducens et Dei similitudo“ (finis).

[24]) C. III, 2: *Καὶ τὸ δὲ πάντων θειότερον, ὡς τὰ λόγιά φησι, θεοῦ συνεργὸν γενέσθαι.*

[25]) C. III, 2.

[26]) E. VI, 3, 6.

[27]) C. III, 2.

Quarum prima circa Deum assidue versata et in atrio Dei quodammodo collocata iugiter illi inhaeret et immediatius ei unita res omnes in causa prima (in divino verbo) cognoscit. Atque haec quidem hierarchia complectitur: Seraphim, Cherubim, Thronos, quorum nomina „divinitatis imitatrices indicant proprietates" (C. VIII, 1) atque illa quibus funguntur officia[28]).

Seraphim enim, quod Hebraicae linguae periti per „incensores vel calefacientes" (*ἐμπρησταί*) interpretantur, igne quodammodo divini amoris ardent aliosque hoc igne succendunt (Ies. 6, 2 et 6).

Cherubim, i. e. copia cognitionis sive sapientiae diffusio (*χύσις σοφίας*), a plenitudine et excessu quodam scientiae, quam in alios diffundunt, denominati sunt (Ies. 37, 16. Ez. 10, 1).

Throni denique, qui familiariter Deum in seipsis quasi in throno recipiunt, rationes rerum immediate in ipso Deo cognoscunt.

Quod quamvis sit commune toti primae hierarchiae, throni tamen, qui inferiores sunt quam Seraphim et Cherubim, specialiter ab eo denominantur, quod omnibus est commune, scilicet ut immediate circa Deum occupati loci sint divinae requietis[29]).

In hac ideo prima coelestium intelligentiarum hierarchia, quae omnis vilitatis expers primae lucis plena est, inferiores a superioribus, ii autem qui omnibus antecellunt, a Deo ipso sacris disciplinis illustrantur et in mysteriis incarnationis et divini amoris erudiuntur. Et tali modo et purgantur et illuminantur et perficiuntur; divinae enim scientiae participatio ignorantiam quodammodo expiat per perfectorum mysteriorum scientiam; per divinam deinde cognitionem illuminat mentem illam, quae antea non viderat, eodemque denique lumine perficit per stabilem scientiam clarissimarum eruditionum. Qua ratione perfecti praeclarissimis hymnis et canticis Deum sine fine laudant et celebrant, clamantes quasi vox et fremitus aquarum multarum: „Benedicta gloria Domini de loco suo" (Ez. 3, 12); „Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth, plena est omnis terra gloria tua" (Ies. 6, 3)[30]).

Ad mediam hierarchiam transeuntes, cuius est res in causis generalibus (creatis seu participabilibus), in quibus quaedam est varietas, cognoscere et de agendis generaliter disponere, primo nobis occurrunt:

1) Dominationes (*κυριότητες* Col. 1, 16), ita dictae, quia dispositione deiformi ceteris angelis dominantur et servili timore deposito forti animo invincibilique virtute Deum affectant et sequentes ad eum perducant.

---

[28]) De prima hierarchia cf. C. VI, VII et X.

[29]) De thronis (Col. 1, 16) cf. C. VII, 1 et 4: *ουτοι γάρ εἰσι ὡς θεοειδεῖς οἱ θεῖοι τόποι τῆς θεαρχικῆς ... καταπαύσεως.*

[30]) Haec angelorum cantica in libro „de divinis hymnis" (cf. Nr. 5 et 28) a se explicata esse theologus noster testatur. Cf. C. VII, 4: *Ταύτας δὲ τὰς ὑπερτάτας τῶν ὑπερουρανίων νοῶν ὑμνολογίας ἤδη μὲν ἐν τοῖς περὶ τῶν θείων ὕμνων ὡς ἐφικτὸν ἀνεπτύξαμεν, καὶ εἴρηται περὶ τούτων ἐν ἐκείνοις ὡς καθ' ἡμᾶς ἱκανῶς.* Ceterum in hunc librum, s. Maximi temporibus iam perditum, Gregorium Nazianzenum incidisse et autorem nostrum haud obscure in oratione *εἰς τὰ γενέθλια* significasse putat P. Halloix, et quidem hisce verbis: *Οὕτω μὲν οὖν τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἃ καὶ τοῖς Σεραφὶμ συγκαλύπτεται καὶ δοξάζεται τρισὶν ἁγιασμοῖς εἰς μίαν συνιοῦσι κυριότητα καὶ θεότητα. Ὃ καὶ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται κάλλιστά τε καὶ ὑψηλότατα."* Greg. Nazianz. opp. Paris 1778. I, 668 (orat. 38 Nr. 8). Quae quidem verba ad nullum alium inter veteres scriptores ecclesiasticos referri posse Halloixio videntur nisi ad autorem nostrum, Dionysium sc. Areopagitam, qui in libro de coelesti hierarchia, inprimis autem in „divinis hymnis" sublime utique et pulchre de his rebus philosophatus sit. Verum alii contradicentes ad Athanasium potius hoc Nazianzeni elogium referre volunt, in cuius oratione super Matth. 11, 27 haec leguntur: *Τὸ γὰρ τρίτον τὰ τίμια ζῶα ταῦτα προςφέρειν τὴν δοξολογίαν: „ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος" λέγοντα τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τελείας δεικνύντα ἐστίν κ. τ. λ.*

2) Virtutes (δυνάμεις Eph. 1, 21), quae inconcussa virilitate et virtute praecellentes magni viribus nituntur ad Dei imitationem et divinae virtutis simulacra effecta inferioribus illam suppeditant.

3) Potestates (ἐξουσίαι. Eph. l. c. Col. l. c.), quae liberae a vinculis rerum sensibilium severa sua potestate ad malum non abutuntur, sed invicto animo ad Deum diriguntur (C. VIII et XI).

Tres itidem in **tertia hierarchia,** cuius est res cognoscere adhibendo causas generales ad singula et exsequi opera divina, continentur divinarum intelligentiarum ordines:

1) Principatus (ἀρχαί Eph. 1, 21), qui principes quasi sunt et primi reliquorum huius ordinis angelorum, quos ad ministerium divinum explendum disponunt. Pertinet ad eos universale regimen.

2) Archangeli, quorum est prophetias et illustrationes divinas a primis virtutibus acceptas per angelos revelare hominibus.

3) Angeli, qui in coelesti dispositione ultimi divina mandata vel exsequuntur vel hominibus nuntiant. Ceteris enim coelestibus spiritibus propinquiores sunt hominibus, ita ut quum tota tertia hierarchia, tum inprimis angeli secundum sacram scripturam nostrae humanae hierarchiae per vices praesint. „Statuit enim altissimus terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei". (Deut. 32, 8)[31]).

78. Angeli autem nomen quamvis proprie ultimo ordini coelestium intelligentiarum conveniat, non incongrue tamen superioribus etiam tribuitur. „Superiores enim ordines inferiorum quoque agminum illuminationibus virtutibusque pollent eorumque obire possunt functiones, non vero postremi superiorum muneribus fungi possunt"[32]). Itidem omnes angeli „virtutes" quoque communi nomine appellantur, quatenus nimirum omnes divinae virtutis sunt participes. Et quum essentia eorum spiritualis sit, „spiritus" quoque nominantur (C. XI, 1).

Tribus ideo nominibus cunctis communibus coelestes mentes nominari possunt, secundum triplicem illam, cui omnes mentes subiacent divisionem (cf. Nr. 65). Etenim secundum essentiam (οὐσίαν) omnibus communem „spiritus", secundum virtutem (δύναμιν) „virtutes", secundum „operationem" (ἐνέργειαν) angeli appellantur.

---

[31]) Vulgata editio pro „angelorum Dei" interpretatur: „filiorum Israel" cf. C. IX, 2. S. Gregorius M., qui, quamvis „Graecum non noverit nec aliquod opus aliquando Graece conscripserit" (cf. Greg. M. Epist. IX, 69), nihilominus operum Areopagiticorum argumentum perspectum habuit, angelorum choros hoc recenset ordine: 1) Seraphim, 2) Cherubim, 3) Throni, 4) Dominationes, 5) Principatus, 6) Potestates, 7) Virtutes, 8) Archangeli, 9) Angeli, nulla prorsus trium hierarchiarum habita ratione. (Hom. 34 in Ev. Luc. c. 15.) S. Thomas (Summa I, 9. 108) utriusque systemata recensens s. Dionysii ordinem praefert, quem sequitur divinus Dantes. (Paradiso 29, 100—126.) Hieronymus vero nullum inter singulos angelos discrimen esse opinatur. „Sine causa" inquit „diversitas nominum est, ubi non est diversitas meritorum". (Adv. Iovinian. lib. II, 28.) Item etiam Augustinus nominum angelicorum discrimina se ignorare fatetur. „Quid inter se distant quatuor illa vocabula („sedes, dominationes, principatus, potestates") dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt. Ego me ista ignorare confiteor". (Enchir. ad. Laur. c. 58.)

[32]) C. V. Secundum hunc locum etiam summi angeli ad homines mitti posse videntur, cui tamen contradicit cap. IX, 2 et XIII, 1—3. — Quam ultimam opinionem, angelos videlicet superiores mitti non posse, s. Dionysii autoritate permoti cum s. Thoma omnes fere theologi scholastici sunt secuti, Petrus autem Lombardus — coelestis hierarchiae cap. V fortasse prae oculis habens — omnes angelos ad homines mitti docet.

Atque hoc modo omnis hierarchia in virtutes primas, medias et postremas distributa est. Quinimmo et singuli hierarchiarum ordines iisdem divinis harmoniis discreti sunt, quemadmodum docente s. scriptura divini Seraphim „clamabant alter ad alterum" (Ies. 6, 3), unde patet primos illustrare secundos scientia deiformi. Quae lex adeo late patet, ut quaelibet coelestis et humana mens primos, medios et ultimos ordines in se contineat, quibus pro captu suo et purgatur et illuminatur et perficitur (C. X—XI).

79. Sunt autem boni angeli mediatores quodammodo inter Deum et homines; lumen quippe illud, quo ipsi a Deo illuminantur motu directo commoti (cf. Nr. 65), nobis transmittunt divinasque revelationes benigne nobis communicant. Sic ipsa scriptura testante lex per angelos hominibus est data (Act. 7, 53; Gal. 3, 19) et celebres illi ante legem et post eam patres: Iacobus, Zacharias, Iosephus, pastores in campo Bethlehemitico, omnes fere prophetae visionibus, praesagiis, variis doctrinis per angelos ad Deum adducebantur. (C. IV, 3.)

Illae vero, quae in sacris scripturis referuntur Dei apparitiones (*ϑεοφάνειαι*), angelorum utique ministerio sanctis illis viris visae sunt. An non eandem illam sacram legislationem, quam ab angelis patribus datam esse modo diximus, a Deo Moysi traditam esse divina scripta referunt (2. Mos. 20; 4. Mos. 9), ab illo videlicet Deo, quem nemo unquam vidit (1. Mos. 3, 8; 1. Io. 4, 12)?

Divinum immo humanitatis Iesu mysterium angelis primum patefactum videmus, quorum unus, divinissimus Gabriel, B. Mariam V. erudivit, quomodo in ipsa divinum illud deiformationis (*ϑεοπλαστίας*) mysterium consummandum esset. Quin etiam ipsum Iesum angelorum creatorem (*αἰτίαν*), ubi se humilians ad naturam nostram sine sui immutatione (*ἀμεταβόλως*) descendit, hanc quam ordinaverat legem nequaquam spernentem sed obedienter angelis a patre missis se submittentem videmus tum in fuga Aegyptiaca, tum in horto Gethsemane, tum alias.

Haec enim a Deo lex est constituta, ut per singulas hierarchias certi essent ordines, inferioribusque superiores mystae quodammodo essent ac manuductores ad divinum accessum et communionem. (C. IV, 4.)

Verum quum inferiores tantummodo angeli homines expient, illuminent, perficiant, quomodo fieri potest, ut angelus qui Iesaiam prophetam expiat Seraphim vocetur? (Ies. 6, 6.) Hoc non sensu proprio et literali, sed sensu tropico fieri per se patet. Aut enim ille angelus Seraphim vocatur per imitationem actus superiorum, quia per ignem — „calculo ignito" — prophetam expiat, quum sit Seraphinorum urere; aut quia expiandi munus inferiori angelo a supremi ordinis spiritu attributum erat, sicut simili prorsus modo summus pontifex dicitur baptizare per sacerdotes, quia ipsi potestate ab illo accepta hoc faciunt. (C. XIII, 1—3.)

Unde etiam ipse summus pontifex noster haud immerito „angelus" dicitur (Mal. 2, 7; Apoc. 1, 20), quia pro virili parte angelicam proprietatem participat atque ad eorum similitudinem, quantum in hominibus est, per interpretandi docendique munus accedit. Quum ergo angelorum similitudinem imitatione exprimant officiumque angelicum aemulentur, nomen quoque eorum participant, quemadmodum etiam angeli et boni homines ob eandem causam Dii appellantur[33]), quamvis nihil prorsus, ne supremi quidem angeli, proprie atque ex toto, Deo superessentiali et supereminenti simile et sit et nominari possit. (C. XII.)

80. Propius vero quodammodo ad divinam similitudinem accedunt angeli, quod passibilis nostrae voluptatis omnino incapaces sunt. Concupiscentia enim illa et ira, quae a nonnullis iis tribuuntur, ad

---

[33]) Ps. 81, 6: „Ego dixi Dii estis et filii excelsi omnes". (1. Mos. 1, 27. 32.)

amorem divinum et spiritalem fortitudinem sunt referendae; Deo autem re vera congaudent ob eorum qui perierant inventionem, secundum deiformem videlicet suavitatem, quam ex conversorum cura saluteque percipiunt et iuxta benignae copiae et ineffabilis delectationis copiam, cuius saepenumero homines quoque sancti participes effecti sunt, quum in ipsos divinae illius ac deificae lucis fulgor influeret. (C. II, 4. XIII, 9.)

Quod denique attinet ad numerum angelorum, aperte sacra eloquia (Dan. 7, 10) nos docent „millies esse eorum millia, deciesque millia dena millia“ summos illos quos adhibemus numeros in seipsos glomerando ac multiplicando, ut sciamus coelestium essentiarum ordines et exercitus a nobis annumerari non posse[34]).

81. Ceterum quamvis spirituales sint et sine corporibus, aptissime tamen et propter imbecillitatem rationis nostrae et propter propriam ipsorum sanctitatem profanis utique recondendam materialibus figuris et in sacra scriptura et in ecclesia Dei adumbrantur tam similibus quam dissimilibus, quae magis nos a terrenis ad coelestia adducere solent. (C. II, 1.) Inprimis vero humana describuntur forma propter intelligendi celsaque spectandi vires corporisque erectionem atque naturalem (*κατὰ φύσιν*) principandi regendique praerogativam. Homo enim, quamvis sensu quidem brutis animalibus comparatus minime valeat, omnibus tamen imperat vi suae mentis ac rationabilis scientiae dominatu animoque natura libero et invicto[35]).

Alae vero his humanis figuris adduntur, ut significetur multivaga angelorum summaque cernendi facultas, quae abundantissime iis conceditur a deiprincipali creatrice sapientia (*θεαρχικὴ σοφοποιΐα*), necnon ut indicetur sacra eorum reverentia, qua supermundialiter in sublimiorum profundiorumque mysteriorum insolenti ac temeraria quodammodo perscrutatione et in pulchra deisimilium actionum altivolante et perpetua motione utuntur. (C. XIII, 4.)

II. De rerum defectione et refectione.

82. Secundum coelestem illam mundoque superiorem hierarchiam in nos quoque sacratissima sua munera benignissime Deus deprompsit. Iesus enim, divinitate transcendens ac superessentialis mens, universae hierarchiae, sanctificationis et sacrae functionis (*ἱερουργίας*) principium et essentia, beatis istis nobisque multo praestantioribus naturis manifestius simul et intelligibilius affulget et ad propriam, quoad fieri potest, lucem eas informat; deinde autem etiam nobis ad imaginem et similitudinem Dei creatis et ad uniformem divinamque vitam institutis iustitiae et sanctitatis impertitur donum: deiformem nobis donavit hierarchiam, cuius opera supernis istis spiritibus propinquiores evaderemus atque constantiam eorum et firmitatem imitati, ad Iesu beatam divinamque lucem aspicientes et visionum deiformium cognitione illustrati, luciformes ac deifici, perfecti et perfectores redderemur. (E. II, 1 et 2; II, 3, 3.)

83. Natura vero humana ab initio divinis illis bonis imprudentia sua spoliata est; libero arbitrio quippe praedita sponte sua lumen spiritale deseruit et a natura sibi insitas ad lucem excipiendam aptas vires amore pravi et mali (*κακίας*) praecludens ad vitam passionibus obnoxiam et tetrae mortis exitum iuste meritoque condemnata est. Nam perniciosa ista veri boni desertio sacraeque in paradiso legis praevaricatio illum, qui blande mulcientibus et infestis adversarii fraudibus illectus vitale iugum excusserat, propensionibus suis quae divinis bonis adversantur indulsit, unde misere aeternitatem cum

---

[34]) C. XIV. Ceterum in interpretatione textum Graecum (LXX interpretum) secuti sumus qui habent: *χίλιαι χιλιάδες καὶ μύριαι μυριάδες.* — Vulg.: „millia millium et decies millies centena millia“.
[35]) C. XV, 3: *Καὶ κατὰ τὸ φύσει τῆς ψυχῆς ἀδούλωτον καὶ ἀκράτητον.*

mortalitate commutavit. Et qui originem a corruptibili generatione acceperat, ad interitum origini suo consentaneum properavit nec non a vita divina, quae ipsum ad supra surrigebat ad extrema contraria dilapsus variis perturbationibus obnoxiam nactus est immutationem. Et quum a recto tramite ad Deum verum tendente aberrans exitiosis maleficisque turmis subditus teneretur, continuo se non diis et amicis sed infestis hostibus fuisse obsecutum advertit, qui homine pro immanitate sua abusi in internecionis et interitus discrimen omnes deduxissent. (E. III, 3, 11.)

84. Verum divinae bonitatis infinita benignitas benevole per se nostri curam gerere non destitit neque ea quae creavit in nihilum relabi sivit, sed paterne remissionem donans novam nobis quamvis lapsis hierarchiam benigne concessit. Divinae enim beatitudini, trinae unitati vere existenti (*τῇ τρισσῇ τῇ μονάδι τῇ ὄντως οὔσῃ*), modo quidem nobis incomprehenso, ipsi autem notissimo in votis est tam nostra quam mentium supernarum salus (*σωτηρία*), quae iis qui salvandi sunt nonnisi deificatis potest obtingere. Est autem haec deificatio Dei quaedam, quod fieri potest, assimilatio unioque. Quam quum divinorum solummodo praeceptorum et institutorum observatione consequi possimus, hic utique omnis hierarchiae humanae communis est scopus et finis: erga Deum et res divinas continua dilectio (*ἀγάπησις*), quae divinitus inseritur et quae hac prior est contrariorum irrevertibilis et universalis fuga, cognitio rerum qua res sunt, sacrae veritatis visio scientiaque, simplicis perfectionis eius qui revera simplex est divina participatio, fruitio intuitionis, quae omnem sui contemplatorem spiritali modo reficit deificatque. (E. I, 1; D. VIII, 9.)

Divina ergo beatitudo, quae natura Deitas est, immensa bonitate quum omnes tum inprimis humanas hierarchias in salutem et deificationem (*θέωσιν* i. e. deitatem per gratiam) concessit, communemque hanc eis tribuit virtutem, ut ipse uniuscuiusque hierarchiae antistes pro sui status et ordinis ratione divinis initietur ac Deo uniatur subditosque suos pro cuiusque dignitate gratiae sibi datae participes reddat eo modo, ut subditi superiores sequantur, ipsi vero simul inferiores ad anteriora promoveant. Qua divina consensione (*ἁρμονίᾳ*) fit, ut omnes ipsius unius pulchri, sapientis et boni participes fiant, non omnes tamen uno eodemque modo.

85. Supermundiales enim istae essentiae, quae coelestes constituunt hierarchias, utpote mentes, mentalem habent intelligentiam; non enim extrinsecus eos Deus ad divina movet, sed intelligibili ratione atque intrinsecus pura illustratione divinissimam iis voluntatem irradiat; nobis vero humanas constituentibus hierarchias, quod simplicius illis collectimque praestitum, ex divinitus traditis eloquiis pro captu nostro divisibilium signorum donatum est varietate multitudineque. Substantia enim omnis hierarchiae nostrae sunt divinitus tradita oracula (*θεοπαράδοτα λόγια*), quae a sacris nostris institutoribus divino spiritu afflatis tam scriptis quam non scriptis institutionibus nobis tradita sunt non propter profanos tantummodo, sed quod nostra hierarchia symbolica quodammodo cum angelica comparata existat, sensilibus egens signis, quibus mentem nostram ad intelligibilium diviniorem tollat cognitionem[36]).

86. Quae quidem humana nostra hierarchia instar coelestis[37]) in tres divisa est hierarchias. Quarum
prima temporali quidem ordine, ultima vero dignitate legale est sacerdotium in statu
naturae et legis,

---

[36]) E. I, 2—5 et supra Nr. 13—15. Plura de hoc discrimine inter angelicas et humanas hierarchias in libro de sensibilibus et intelligibilibus disputaverat autor. Cf. E. I, 2.

[37]) C. I, 3: *ἡ τῶν οὐρανίων ἱεραρχιῶν ὑπερκόσμιος μίμησις.*

secunda vero et media ea quae adhuc est ecclesiastica hierarchia sub gratia constituta,
quae finis est praeteritae legalis, initium vero
tertiae hierarchiae futurae in coelis et in gloria, quae nunc ex parte inchoata est in
primitiis contemplationis[38]).

Atque triplex iterum omnis hierarchiae est divisio, videlicet
1) in divina mysteria sive sacras initiationes (*θειόταται τελεταί*),
2) in illos qui haec tenent et enuntiant sive sacros initiatores (*τελετῶν μύσται*),
3) in illos qui initiandi sunt sive initiati (*τελούμενοι*). (E. V, 1, 1.)

Quaelibet autem ex tribus istis partibus secundum legem hierarchicam in prima, media et extrema subdividitur, ita ut
primi et perficiantur et perficiant,
medii et illuminentur et illuminent,
extremi et expientur et expient.

Atque hoc modo quum sancta proportio et harmonia tum venustissimae suoque ordini congruae cuncta connectentis societatis virtus optime servatur. (E. V, 1, 2.)

1. Legalis hierarchia.

87. Divina bonitas homines lapsos et mortuos in statum pristinum restituere et ab omni labe liberare aeterne constituens primum iis qui infantes (*νήπιοι*) et rationis expertes erant legalem dedit hierarchiam. Unum enim ex omnibus sibi elegit populum in possessionem suam, cui non solum angelum, sed archangelum — s. Michaelem videlicet — fecit principem (Dan. 10, 13 et 21). Neque vero ideo ceteras gentes et nationes omnino deseruit, sed ad unam omnibus benigne tribuit angelos suos (tutelares). „Statuit enim altissimus terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei".

Quod si quaerat aliquis, quare populus Hebraeorum solus ad divinas illustrationes sit evectus, respondendum utique, neque Deo neque angelis imputandam esse ceterarum gentium ad falsos deos (*ἐπὶ τοὺς οὐκ ὄντας θεούς*) defectionem sed eas ipsas propriis motibus a recta quae ad Deum ducebat via deflexisse per amorem proprium suamque pervicaciam et rerum quibus divini quidpiam inesse arbitrabantur absurdum cultum. Id quod etiam Hebraeorum populo usu venisse sacra scriptura confirmatur. Non enim vita nobis est necessitate coacta (*οὐκ ἠναγκασμένη*), neque propter creaturarum libertatem (*αὐτεξουσιότητα*) divina providentia est accusanda, sed oculorum mentis dissimilitudo (*ἀνομοιότης*) causa est, ut divinae lucis et revelationis fons semper eodem modo se habens aut prorsus aut maximam partem in plurimis sit inutilis et cassus.

88. Omnibus igitur gentibus angeli praefecti erant, qui sequaces ad unum omnium principium, ad Deum unum et verum adducerent. Cuius rei testis est et Melchisedech sanctus ille summi Dei

---

[38]) E. V, 1, 2: *Ἔστι δὲ καὶ οὐρανία καὶ νομικὴ κοινωνικῶς τῇ μεσότητι τῶν ἄκρων ἀντιλαβομένη* (sc. *τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱεραρχίᾳ*), *τῇ μὲν κοινωνοῦσα ταῖς νοεραῖς θεωρίαις, τῇ δὲ* (sc. legali) *ὅτι καὶ συμβόλοις αἰσθητοῖς ποικίλλεται.* — Tribus his hierarchiis tres respondent autoris nostri libri. De statu enim naturae et legis in libro de legali hierarchia (cf. Nr. 5), de statu gratiae in libro de ecclesiastica hierarchia, de statu gloriae tum in coelesti hierarchia tum in libro de iusto et divino iudicio (cf. Nr. 72) disputavit. Iudicio enim divino quasi medio inter ecclesiasticam et coelestem hierarchiam collocato malis quidem poenae aeternae, bonis vero aeterna praemia et coelestis gloria tribuuntur. — Ternis ergo tractatibus de tribus totius theologiae capitibus i. e. 1) de Deo Deique nominibus, 2) de Deo creatore, 3) de Deo redemptore ab autore nostro disputatum est. Cf. Nr. 25 et 66.

sacerdos, qui non modo ipse ad summum Deum conversus erat, sed aliis quoque ad veram Deitatem provehendis dux exstitit[39]), et Pharao Nabuchodonosorque, quibus per angelos Aegyptiorum et Babyloniorum visiones contigerunt, a Iosepho deinde et Daniele angelorum opera explicandae. Illud autem: „Israel factus est pars Domini“ (Deut. 32, 8; Ps. 134, 4) eo utique sensu intelligendum est, ut quum Deus omnibus gentibus angelos dederit, quorum ductu et auxilio ad veritatis lumen pervenirent, solus ferme Israel prae omnibus ad veri Dei notitiam et illustrationem fuerit conversus. (C. IX, 3.)

Huic ideo soli populo legalem dedit hierarchiam sub exilibus nimirum veritatum imaginibus atque simulacris, quae ab exemplaribus plurimum distabant, obscurisque aenigmatis et figuris lumen huic statui proportionatum tanquam imbecillioribus oculis innocue et sapienter affundens. Huius autem legalis hierarchiae mysterium introductio quaedam fuit ad cultum spiritalem.

Initiatores autem huius mysterii exstiterunt ii, qui sacri illius tabernaculi ritum a Moyse, primo legalium pontificum initiatore ac duce, didicerant. Moyses enim legis hierarchiam describens ad exemplaris, quod ipsi in monte Sina monstratum fuerat, imaginem et imitationem omnia quae in lege sancte fiebant revocabat.

Initiabantur denique et perficiebantur omnes ii, qui a legalibus signis secundum captum suum ad perfectiorem disciplinam (i. e. ad ecclesiasticae hierarchiae fidem et spem et divinorum amorem) promovebantur.

Tripliciter enim, ut omnis hierarchia, etiam legale sacerdotium erat divisum, videlicet in divina mysteria seu initiationes, in sacros initiatores et in eos qui ab illis initiantur[40]). Verum tota legalis hierarchia simulacrum tantummodo erat et umbra sanctissimae nostrae hierarchiae ecclesiasticae, quae illius consummatio est et sacer finis, media quodammodo inter legalem praeteritam et coelestem futuram.

2. Ecclesiastica hierarchia.

89. „Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam“. Io. 3, 16. Unde tempore impleto unicus Dei filius in hunc mundum venit, ut homo factus nos qui sub peccato eramus salvaret.

Sed quomodo Iesus Christus, quum sit omnibus superior, ceteris hominibus substantialiter (*οὐσιωδῶς*) aggregatus est? Non utique quatenus est creator hominum (*αἴτιος*) hoc loco homo dicitur,

---

[39]) C. IX, 3, ubi haud obscure autor significare videtur, Melchisedech angelum fuisse, sed eo tantummodo sensu, quo etiam summi pontifices nostri „angeli“ dicuntur. Cf. C. XII et supra Nr. 80.

[40]) Libris de legali hierarchia perditis (cf. Nr. 5) quum iam de triplici mysteriorum, initiatorum et initiandorum legalium subdivisione (E. V, 1, 2) plura cum certitudine afferre non possimus, late hic coniecturae possunt vagari. Attamen analogiam hierarchiae ecclesiasticae infra explicandae secuti, haud longius fortasse a veritate recedemus, si mysteria veteris testamenti distinxerimus:

1) in purgativa: circumcisionem et aspersionem sanguinis,
2) in illuminatoria: lectionem scripturarum, doctrinam legis et oblationes,
3) in unitiva: oblationem expiatoriam in die expiationum.

Initiatoribus vero novae legis: „episcopis, presbyteris, diaconis“ eodem modo respondent in veteri lege: pontifex maximus, sacerdotes, levitae; sicut initiatorum christianorum triplici generi: monachis videlicet, populo christiano et catechumenis respondent Naziraei, populus Iudaeorum et proselyti omnesque circumcisione non insigniti. Cf. Haneberg: Geschichte der biblischen Offenbarung. Regensburg 1852. p. 123, ubi cum tribus templi Salomonici partibus, cum tribus summi pontificis vestibus, cum sollemni illa benedictione tripartita, quae a pontificibus tantum adhibebatur (Nr. 6, 24—26), comparatur triplex sacerdotum purgandi, illuminandi, perficiendi munus.

sed in quantum est re vera homo secundum totam hominis substantiam. Attamen Iesum non ad humanitatis terminos tantum coercemus[41]); non enim homo solummodo est — nequaquam quippe suprasubstantialis esset, si solus homo foret — sed homo quidem re vera existens supra homines tamen elatus est, quos sensu eminenti amat (*ὁ διαφερόντως φιλάνθρωπος*); et quum supra substantiam existeret, secundum homines ex humana substantia substantiam assumpsit (*ὁ ὑπερούσιος οὐσιωμένος*). Nihilominus supersubstantialis semper manens, supersubstantialitate semper abundat (*ὑπερπλήρης*) et substantiam assumens supra substantiam substantiatus est et supra hominum conditionem gessit ea quae sunt hominis. Id quod declarat etiam virgo illa supra naturam pariens (*παρθένος ὑπερφυῶς κύουσα*) et aqua profluens, quae pedum ex materia terraque concretorum gravitatem sustinet neque cedit sed virtute supernaturali sine diffusione subsistit. Cetera vero, quae valde sunt multa, quis memorare potest? In quae si spiritualis et divina mens intueatur, supra mentem etiam cognoscet ea, quae de charitate Iesu erga homines **affirmantur,** excellentis quoque **negationis** virtutem continere. Occultus enim est etiam post ipsam manifestationem et in ipsa manifestatione (*ἔκφανσις*), ita ut etiam apertissimum hoc totius theologiae mysterium: Iesu e natura nostra formatio (*ἡ καθ᾽ ἡμᾶς Ἰησοῦ θεοπλαστία καὶ φυσιολογία*) ineffabile sit nullique notum intelligentiae. (Ep. III; D. II, 9.)

Nam, ut breviter dicamus: non erat homo, non quod non esset homo, sed quod ex hominibus natus homines longe superaret et supra hominem verus homo factus sit. Ceterum divina non qua Deus patrabat, neque humana quatenus homo gerebat, sed quatenus erat Deus et homo, novam quandam nobiscum conversando deivirilem operationem exhibebat (*θεανδρικὴν ἐνέργειαν*)[42]).

90. Hoc ergo modo ineffabili unicum illud et simplex Iesu verbum sine ulla sui immutatione pro sua bonitate benignitateque processit et nostrorum omnium vere factum particeps, absque peccato humilitati nostrae unitum, salvo proprietatum suarum statu eoque prorsus inconfuso et inviolato[43]), cuius etiam nobis utpote congenitis consortium (*κοινωνίαν*) dedit nosque bonorum suorum participes declaravit.

Et haec omnia nimia sua benignitate commotus, nullo modo coactus salvator noster perfecit. Annon ineffabilis incomprehensibilisque est bonitatis, quod postquam omnia creavit sibique semper similia esse voluit (*παραπλήσια αὐτῷ*), etiam deficientes a se prosequatur amore et dilectione, contineatque ac roget, ne dedignentur amores; quin etiam deliciosos ipsos ac frustra provocatos sustinet atque ipsemet excusat, ipsisque adhuc distantibus simul tamen appropinquantibus occurrit et obviat, totusque

---

[41]) Cf. Ep. IV: *ὡς αὐτὸ κατ᾽ οὐσίαν ὅλην ἀληθῶς ἄνθρωπος ὤν· ἡμεῖς δὲ τὸν Ἰησοῦν οὐκ ἀνθρωπικῶς ἀφορίζομεν.*

[42]) Totam hic ad verbum fere exhibuimus epistolam IV, quae sine ulla dubitatione fragmentum est libri de theol. informationibus (cf. Nr. 25). In qua epistola grandioribus verbis, ne dicam turgidis, similiter ut D. IV, 9—11, unam docet autor noster naturae humanae in Christo exaltationem eiusque operandi modum plane divinum, mirabilem, ineffabilem, attamen salva naturae humanae integritate tum quoad substantiam tum quoad facultates et operationes. Cf. praeter nonnullos alios locos iam supra (Nr. 25) laudatos (M. III, D. II, 3) inprimis D. I, 4: *Ὅτι τοῖς καθ᾽ ἡμᾶς πρὸς ἀλήθειαν ὁλικῶς ἐν μιᾷ τῆς αὐτῆς* (sc. *θεότητος*) *ὑποστάσεων ἐκοινώνησεν, ἀνατιθεῖσα τὴν ἀνθρωπίνην ἐσχατίαν, ἐξ ἧς ἀῤῥήτως ὁ ἁπλοῦς Ἰησοῦς συνετέθη.* D. II, 6: *ἡ καθ᾽ ἡμᾶς Ἰησοῦ παντελὴς καὶ ἀναλλοίωτος ὕπαρξις* et ib. II, 10: *ἀναλλοιώτως καὶ ἀσυγχύτως ἡμῖν κεκοίνωκεν.* — E. IV, 3, 7: *Χριστὸς ἀπαράλλακτος ἐν τῇ καθ᾽ ἡμᾶς ὁλικῇ πρὸς ἀλήθειαν ἐνανθρωπήσει.* — Vocabulum vero *θεανδρική* non unam sed novam deivirilem in Christo operationem enuntiat Christo Deo et homini — *θεανθρώπῳ* — propriam. Cf. Thom. Summ. c. gent. IV, 36: Dionysius humanam Christi operationem vocat theandricam i. e. deivirilem, et etiam quia est Dei et hominis.

[43]) E. III, 3, 11: *Μετὰ τῆς τῶν οἰκείων ἀσυγχύτου καὶ ἀλωβήτου παντελῶς ἕξεως.*

totos amplectens osculatur neque de pristinis eos arguit, sed diligit in praesentia festumque diem agit ac convocat amicos, videlicet bonos, ut sit omnium laetantium habitatio[44]). Ipsos etiam discipulos increpabat, quod persequentes se Samaritanos impietatis crudeliter condemnari petivissent, et tandem, quod omnium summa est et caput, etiam inimicis suis, quum ad mortem usque in cruce pro divina nostra regeneratione penderet, veniam precabatur a Patre. Atque iterum utique paratus esset pro hominibus salvandis pati, et quidem libentissime, ne demum alii homines peccent[45]).

91. Qua pretiosissima passione sua et morte apostaticae turbae in nos imperium profligavit, non viribus quodammodo praevalens sed secundum mysticum eloquium traditionemque arcanam[46]) in iudicio et iustitia. Hinc statum nostrum e diverso clementer immutavit; nam mentis quidem nostrae obscuritatem beato divinoque lumine replevit, deiformitatemque nostram deiformibus ornamentis illustravit; animi autem domicilium cum perfecta salute essentiae naturaeque nostrae, quae ferme collapsa erat et conciderat, a foedissimis quibusque passionibus atque inquinamentis noxiis liberavit, ex antiqua mortis corruptibilis deiectione benigne vindicavit et ad divinum aeternumque statum nos innovavit. Simul etiam supermundialis ascensionis ac divinae vitae normam (*πολιτείαν ἔνθεον*) nobis ostendit, per quam ad sacras eius similitudines, quoad fieri potest, evehamur[47]). Divinam vero similitudinem et imitationem quomodo assequi potuissemus, nisi tam praestantium Dei beneficiorum memoria sacris praedicationibus et mysteriis (*ἱερολογίαις καὶ ἱερουργίαις*) iugiter innovata esset? Quod ne unquam ommitteretur, sapientissime a Iesu Christo ecclesiastica nostra instituta et ordinata est hierarchia, cuius ipse est caput et causa et supremus antistes. (E. I, 1; III, 3, 12; V, 3, 2 et 5.)

92. Tripliciter autem, legalis et coelestis hierarchiae instar, etiam ecclesiastica nostra est divisa in sanctissima videlicet m y s t e r i a, in deiformes sacrorum ministros et in illos, qui ab his ad sacra cuique congruentia promoventur. Quaelibet deinde ex tribus his partibus, sicuti iam diximus, primos, medios et extremos habet ordines, de quibus singillatim alia occasione oblata fusius et ex professo disputabimus. (E. II—VI.)

Hoc modo hierarchia nostra secundum tres illos terniones initiationum (sc. baptismi, eucharistiae, s. unguenti), initiantium (sc. diaconorum, presbyterorum, pontificum) et initiatorum (sc. catechumenorum, plebis sanctae, monachorum) digesta conformis est non solum legali sed etiam coelestibus hierarchiis, dum deiformes notas signaque Deum exprimentia pro viribus conservat et spiritalem eorum intelligentiam perquirere non cessat.

Unde re vera sicut finis praeteritae legalis, sic initium est et inchoatio futurae coelestis hierarchiae. (E. VI, 3, 5.)

3. Coelestis hierarchia.

93. In fine siquidem saeculi illa pars nostrae hierarchiae, quae bonum certamen cum apostolo certaverit, cum ipsis coelestibus hierarchiis coalescet in unum, quando visibilium sacramentorum velaminibus sublatis ipsam veritatem perspicua claritate contemplabimur[48]). Quodsi etiam in hac quoque hierarchia triplex illa initiationum, initiantium et initiatorum distinctio adhibenda sit,

---

[44]) Ep. VIII, 1.
[45]) Ep. VIII, 4 et 6. Ep. IV, 10.
[46]) E. III, 3, 11: *ὡς ἡ κρυφία παράδοσις ἔχει ... καὶ κατὰ τὸ μυστικῶς ἡμῖν παραδοθὲν λόγιον.*
[47]) E. III, 3, 11 et 13; IV, 3, 10.
[48]) E. V, 1, 2 (et supra Nr. 85), ubi docetur eodem modo se habere legalem hierarchiam ad ecclesiasticam, quomodo ecclesiastica ad coelestem. Sicut igitur tempore impleto legalis mutata est in ecclesiasticam, ita in fine temporis ecclesiastica mutabitur in coelestem, nec erunt diversae hominum

a) pro initiatione haberi potest tum intelligentia a materia semota, qua et ipsa anima et Deus cognoscitur, tum integer deiformitatis status.

b) Initiatores sunt primae istae substantiae, quae circa Deum versantur et in inferiores continuo deificas scientias benigne derivant.

c) Initiati vero erunt ordines illi, qui primis istis essentiis subditi sunt, per quas illustrantur et expiantur et ad divinam perfectionem et beatitudinem adducuntur, quam oculus non vidit et auris non audivit. 1. Cor. 2, 9.

III. De rerum perfectione.[49])

94. Ab ecclesiastica (resp. legali) ad coelestem hierarchiam fit transitus per viam mortis calcandam semel omnibus, licet varia sint genera mortis. Quemadmodum enim diversa est sanctorum profanorumque vita, sic dum ad finem vitae pergunt hi quidem, qui sancte vixerunt, ad veras Dei promissiones intuentes, quarum veritatem in resurrectione Christi quodammodo iam conspexerunt, cum firma et vera spe ad mortis terminum tanquam ad finem certaminum proficiscuntur, scientes mortem non esse abolitionem sed coniunctarum partium separationem, ad invisibilia utramque partem abducentem. Dum enim anima corporis privatione invisibilis (*ἀειδής* al. = sempiterna) fit, corpus interea, velut humo abditum, alia quapiam corporea alteratione ex humana specie exterminatur. Hanc vero exterminationem et separationem perfecta aeternaque vita, beatitudo et securitas quondam secutura est[50]).

95. Non autem apud omnes utique homines. — Tristis enim et terribilis est profanorum et peccatorum tum mors tum futura sors. Ii videlicet, qui iniquitatibus nefariisque sceleribus cooperti spreta doctrina salutari ad corruptrices voluptates sponte sua devoluti fuerint, quum ad vitae finem pervenerint, non iam legem divinam contemptu dignam habebunt, sed perniciosas voluptates longe aliis oculis aspicientes miseri et inviti ex hac vita decedent propter vitam suam pessimam nulla spe fulti.

96. Animae autem sanctae quum in hac vita degentes adhuc perverti possint, in regeneratione illa (*παλιγγενεσία*) ad statum immutabilem Deoque maxime conformem transferentur. Pura vero illa corpora, quae sanctis animabus copulata (*ὁμόζυγα*) et cum iisdem simul certantia per sanctam communionem membra Christi facta sunt, pro illis laboribus et sudoribus in divina animarum firmitate immortalem resurrectionem (*ἀνάστασις*) atque deiformem beatamque aeternitatem sibi sortientur.

Hinc fit, ut sanctorum obdormitio laeta sit et plena certae spei, quia ad certaminum finem se venisse gaudent.

Quodsi profanorum quis audiverit, non poterit profecto quin rideat, sicut etiam s. scriptura testatur: „Si enim non credunt, non intelligent". Quorum alii quidem putant corpora nostra prorsus

---

hierarchiae ab angelorum, sed ecclesiastica nostra in patria angelicis ordinibus est aggreganda. Hoc fere modo ex Dionysio rem demonstrat s. Thomas S. I, q. 108, a. 1. item in Sent. II. l. IX, q. 1. a. 1. — De sacramentorum autem in coelo sublatione cf. similem prorsus ad verbum fere ex imitatione Christi locum IV, 2: „Quum autem venerit quod perfectum est, cessabit usus sacramentorum, quia beati in gloria coelesti non egent medicamine sacramentali". — Saepissime videlicet, sicut apud omnes theologos mysticos (cf. ex. gr. s. Ioannis a Cruce, s. Theresiae, s. Francisci Salesii, P. Fabri opera), etiam apud Thomam a Kempis (vel potius Gersenium) leguntur loci Dionysiacis omnino similes. Cf. Im. Christi I, 3, 4. III, 4, 4, alias.

[49]) E. cap. VII integrum (*περὶ τῶν ἐπὶ τοῖς κεκοιμημένοις τελουμένων*) et Halloix ap. Cord. II. p. 424 sq.

[50]) E. II, 3, 7 et VII, 1, 1.

3

aboleri, alii vero censent animarum cum corporibus suis coniugia (*συζύγια*) in deiformi beataque vita tanquam parum consentanea diremptum iri, nescientes nos iam hic in Christo deiformem vitam inchoasse. Alii autem animabus aliorum corporum coniugia attribuunt, sacris suis praemiis defraudantes summaque iniuria afficientes corpora, quae cum divinis animabus collaboraverunt. — Sed veri fideles tales abhorrentes errores, ubi ad huius vitae finem accesserint, summi Dei munera collaudant divinoque gaudio et sancta voluptate adimplentur, quia cognoscunt se Christi similes bona parta firmiter perpetuoque possessuros. (E. VII, 1, 3.)

97. Nullo quidem modo, sicut nonnulli profani ad terrenas cogitationes dilapsi, praesenti vitae similem beatitudinem cibosque vitae variabili proprios similesque nugas apud Deum sperant sed quae nobis promissa sunt praemia aeterna et spiritalia. Ecquid enim cum perfecta immortalitate omni tristitia carenti luceque plenissima, quid cum illa beatorum patriarcharum et reliquorum sanctorum beatissima communione conferri valeat? Quin etiam promissiones istae ratione nobis accommodata expressae a reali ipsarum veritate plurimum deficiunt. Nemo quippe describere potest sanctam illam requiem ex multis laboribus et vitam inviolatam conversationemque divinam in lumine ac regione vivorum omni sacra iucunditate plenam et omnigenorum beatorumque donorum abundantem elargitionem, qua omni gaudio replentur, Iesu eos exhilarante et in mensa collocante et ipsis ministrante et aeternam quietem largiente perfectaque bona tribuente. (E. VII, 1, 2; Ep. IX, 5.)

98. Propinqui autem eius, qui eiusmodi spe plenus defunctus est, beatum eum praedicant, quod ad optatum victoriae bravium pervenerit auctorique victoriae cantica gratiarum solvunt atque sibi similem sortem optant. Tunc assumentes mortuum quasi sacris coronis munerandum ad antistitem portant. Qui coacto coetu sacro, siquidem in sacris fuerat qui obdormivit: ante altare, si autem monachis sanctoque populo annumeratus fuerat: ad sacrarium ante sacerdotum introitum eum collocans, orationem ad Deum et gratiarum actionem incipit. Deinde diaconi verissimis de resurrectione sacrarum scripturarum promissionibus recitatis eisdem consona atque aequivalentia psalmorum cantica concinunt. Quo facto archidiaconus (*τῶν λειτουργῶν ὁ πρῶτος*) expiandorum ordines dimittit non omnes quidem, sed catechumenos tantum, dum reliqui remanentes optime discunt et advertunt, veros Christianos mortem non timere et quae in scripturis peccatorum supplicia, beatorum vero promittantur praemia.

Interea archidiaconus sanctos iam defunctos — et in fine recens vita functum — commemorat hortaturque omnes, ut beatam in Christo perfectionem petant rogentque, ut Deus defuncto omnia, quae per humanam fragilitatem contracta sint, peccata dimittat eumque transferat in lucem sanctam et collocet in sinu Abraham, Isaac et Iacob, in loco utique, a quo dolor, tristitia gemitusque aufugiant.

99. Tunc accedens divinus pontifex preces super mortuo peragit. Atque haec precatio grata est et accepta Deo. Pontifex enim quum sit praecipuus divinae iustitiae praeco, nunquam postularet ea quae non essent Deo quam gratissima et iuxta promissiones eius deiformiter concedenda. „Divinis enim decretis stabilitum est, ut divina munera iis, qui eorundem participatione digni sunt, distribuantur ab illis qui ad ea elargienda apti sunt“ [51]).

Defunctis autem improbis nequaquam istiusmodi pontifex precatur, non solum quod interpretis officium in hoc violaret, verum etiam quod impia petitione frustraretur [52]). Iustorum videlicet preces

---

[51]) E. VII, 3, 6: *Ἔστι γὰρ καὶ τοῦτο τοῖς θεαρχικοῖς κρίμασι νενομοθετημένον, τὸ τὰ θεῖα δῶρα τοῖς ἀξίοις τοῦ μετασχεῖν ἐν τάξει θεοπρεπεστάτῃ δωρεῖσθαι διὰ τῶν ἀξίων τοῦ μεταδοῦναι κ. τ. λ.*

[52]) Haud obscure hoc loco — etsi non verbis, tamen re — ab auctore significatur, antistitem ea quae Petro eiusque successoribus necnon omnibus episcopis data est ligandi solvendique potestate

quum in hac vita tum multo plus post mortem iis solis prodesse, qui sanctis precibus digni sunt, verae s. scripturae traditiones docent.

100. Deinde prece finita primum pontifex, deinde omnes praesentes defunctum salutant (*ἀσπάζονται*) quo peracto iam sequitur olei infusio. Sicut enim unguenti inunctio baptizandum olim ad sacra certamina vocabat, ita nunc affusum per pontificem oleum declarat mortuum iisdem sacris certaminibus praeclare exactis functum esse. Unctione finita pro omnibus fit precatio, corpus autem collocatur in honorato loco (*ἐν οἴκῳ τιμίῳ*) una cum aequalibus aliis corporibus sanctis, ut requiescant in pace usque ad diem ultimum, quando iusto et divino iudicio omnes iudicandi sunt. Tunc quando Christi formam beatissimamque sortem adepti incorruptibiles et immortales evaserimus, semper et sine fine, scriptura docente (1. Thess. 4, 16), cum Deo erimus, visibilis quidem ipsiusmet Dei apparitionis castissimis contemplationibus pleni, cuius lucidissimis splendoribus non secus ac discipuli in divinissima transfiguratione irradiabimur. Intelligibilis vero eius illustrationis mente passionibus materiaque carente participes facti, radiorum lucidissimorum beatis coruscationibus, similes angelis, unione quadam intelligentiam superante, Deo coniungemur (D. I, 4). „Aequales enim angelis erimus et filii Dei, quando erimus filii resurrectionis". Luc. 20, 36.

---

nixum per istam precationem funebralem indulgentiam quandam defuncto applicare per modum suffragii. Laudans enim Matth. 16, 19 (Quodcunque solveris ...) sic pergit: *ὡς ἐκείνου* (sc. Petri) *καὶ παντὸς τοῦ καθ' αὐτὸν ἱεράρχου κατὰ τὰς ἐν αὐτῷ γενομένας τῶν πατρικῶν δικαιωμάτων ἀποκαλύψεις ἐκφαντορικῶς καὶ διαπορθμευτικῶς* (quasi interpres et portitor) *τούς τε θεοφιλεῖς* (sc. *κεκοιμημένους*) *προςιεμένου καὶ τοὺς ἀθέους ἀποκληροῦντος.* E. VII, 3, 7.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O., h. t. Decanus.

I. De creatione mundi, de angelis, de homine et eius statu originali deque protoparentum lapsu aget quinquies vel sexies p. h. h. X.
II. Grammaticam linguae Hebraicae adiunctis exercitiis interpretatoriis docere perget ter p. h. horis designandis.
III. Poematis veteris Saxonici, quod Salvatoris (*τοῦ* Heliand) nomine inscribitur, interpretationem continuabit semel bisve p. h. hor. def.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

I. Theologiam pastoralem docebit sexies p. h. h. VII.
II. Disciplinam homileticam tractabit diebus Lunae et Jovis h. VIII.
III. Pericopas biblicas tum dominicales tum festivales interpretabitur horis def.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam primaevae ecclesiae enarrabit quater per hebd. h. IX.
II. Antiquitates ecclesiasticas tradere perget bis per hebd. h. IX.
III. Repetitiones de historia ecclesiastica instituet semel per hebd. h. def.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Selecta capita Iobi libri interpretabitur ter per hebd. h. VIII.
II. Evangelium sec. Lucam explicabit ter per hebd. h. VIII.
III. Exercitationes Syriacas instituet semel bisve per hebd. hora def.

Lic. Iul. Marquardt, P. P. E.

I. Theologiae moralis partem generalem tradere perget quinquies per hebd. h. XI; qua absoluta
II. de virtutibus theologicis disseret quinquies per hebd. horis definiendis.
III. Repetitiones et disputationes de rebus moralibus instituet horis def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Ios. Bender, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Historiam universalem a Caesare Augusto usque ad exitum Carolorum tradet ter per hebd. h. VIII—IX.
II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas enarrabit ter per hebd. h. VIII—IX.
III. Literarum in Prussia cultarum historiam exponet semel per hebd. h. VIII—IX.
IV. De critica historiae tractandae ratione disseret semel per hebd. hora definienda.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

I. Meteorologiam et climatologiam docebit et usum instrumentorum meteorologicorum et praxin observandi ostendet diebus Iovis, Lunae et Iovis h. XI—XII.
II. De chronologia et de calendario Iuliano et Gregoriano disseret diebus Martii et Veneris h. XI—XII.
III. Calculum differentialem et integralem tradet et problemata geometrica et mechanica calculi integralis ope solvenda proponet horis definiendis.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Nullas scholas habebit.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. M. Tullii Ciceronis de legibus libros II—III bis hebdomade h. IX interpretabitur.
II. Sophoclis Antigonam bis hebdomade h. IX interpretabitur.
III. Inscriptiones selectas bis hebdomade h. d. enarrabit.
IV. Res sacras Romanorum h. d. enarrabit.
V. Exercitationes philologicas h. d. instituet.

Dr. Ios. Krause.

I. Psychologiam tradet ter per hebd. h. X.
II. Metaphysicam docebit bis per hebd. h. X.
III. Repetitorium et disputatorium instituet semel per hebd. h. X.

PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**

Certamen Literarium et Praemia.

Renuntiatio iudiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum currentem propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine literario has quaestiones proposuerat:

I. Ex instituto Regio: De peccato originali disputetur ita, ut in quo eius ratio formalis iuxta mentem ecclesiae potissimum sit posita, ostendatur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: Quod legimus apud S. Augustinum (c. lit. Petil. II, 83), ad fidem nullum esse cogendum invitum, probetur, et veterum Patrum dictis usuque ecclesiae illustretur.

Ordo Philosophorum commilitones de praemio Regio certaturos quaerere iusserat, quid de diis et de rebus divinis Pindarus sentiret.

De priore quaestione commentatio tradita est Ordini his inscripta verbis: „Quae vera esse perspexeris, tene et ecclesiae catholicae tribue, quae falsa, respue et mihi, qui homo sum, ignosce, quae dubia, crede, donec aut respuenda esse aut vera esse aut semper credenda esse vel ratio doceat vel praecipiat auctoritas". (S. Aug., de vera rel. X, 20.)

Qui hanc exaravit commentationem, obviis literarum subsidiis diligenter usus, argumentum propositum sollerter investigavit, apte disposuit et recte absolvit, neque vix aliud quidquam vituperandum videtur, nisi quod pressius quam par erat alienam auctoritatem secutus est. Oratio, etsi aliquoties in verborum constructione impedita, tamen tota fere correcta et castigata, hic illic adeo ad elegantiam adspirat. Quare Ordo scriptori praemium libenter concessit.

Schedula reclusa nomen prodiit:

Antonius Kranich, stud. theol.

De altera quaestione opusculum traditum est ita inscriptum: „Licet secundum canones nullus ad fidem nostram suscipiendam sit cogendus, hi tamen, qui eam susceperunt, ipsam servare et secundum eam vivere fideliter sunt cogendi, ne fides christiana contemptibilis habeatur". (Ex statuto Henrici III, episcopi Warmiensis.)

Cuius auctor argumentis ad rem illustrandam idoneis, quamvis non semper efficacibus, industrie congestis non solum quaestioni satisfecit, sed etiam res theologicas tractandi dexteritatem exhibuit, quare Ordo theologorum praemium ei adiudicare non dubitarit.

Rescissa charta innotuit:

Antonius Schwent, stud. theol.

Philosophorum Ordini commentatio subiecta est una eaque his Pindari verbis insignita: *„Ἔστι δ' ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά.“*

Simile quid de ipsa commentatione praedicare licet. Nam Pindari et de diis et de rebus divinis sententiam commilito diligentissime quaesivit, exposuit elegantissime, ac ne hominum quidem erga deos officia praetermisit. *Πολλῶν ἐπέβα καιρὸν οὐ ψεύδει βαλών.* Quapropter Ordo praemium constitutum ei adiudicavit.

Aperta charta prodiit nomen auctoris:

Iosephus Knorr, stud. theol.

Pro certamine literario in annum currentem (1877/78) commilitonibus hae quaestiones proponuntur:

I. Ab Ordine Theologorum.

I. Ex instituto Regio: S. Thomae Aquinatis de affectibus virtutibusque spei et timoris doctrina explanetur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De symboli apostolici origine et in veteri ecclesia usu.

II. Ab Ordine Philosophorum.

Ex instituto Regio: De via ac ratione cognoscendi, qua Raymundus de Sabunde in opusculo de theologia naturali utitur.

Certantium commentationes sermone latino conscriptae et more consueto obsignatae ante diem XV m. Ianuarii anni sequentis Rectori Lycei tradendae sunt. Victoribus praemia constituta sunt ex instituto Regio LXXV, ex stipendio Scheill-Busseano C marcarum.